

militer hoc loco simulavit, se matrem reprehendere, cum minime reprehenderet, ut ostenderet, se non humano sanguinis respectu, sed sola charitate, et ut sese quae sit, declarat, miraculum facere. Quomodum iudeus illi, quem vult absolvere, saepe asperse respondet, ne eum gratia absolvisse videatur; haecenus ille.

Ultimam tandem expositionem accipe. Deus gralis, nunquam tamen ultro concedentes, Mariam hic dure tractatam, et a filio reprehensam, id in maxime nobis commendandum mysterium cedit; quod videlicet tanta sit in nos Mariae charitas, et benevolentia, ut permiserit, se reprehensione indignam, propter nostram utilitatem, reprehensione dignam videri. Certe Deum a sanctis hoc modo reprehensum propter ineffabilem in peccatorum misericordiam, saepe legimus in sacra Scriptura; nam praeterquam divina misericordia excessus dicitur: *Propter nimiam caritatem suam, iam nullus ad miserendum; iam, vino inebriatus, iam oburgant illum, Prophetae, et in Iona, Habacuch (c. 2): Quare non despicias contemptores impiorum iustorum? et (Ps. 93): Usquequo peccatores Domine? iam murmurant, qui prima hora venerunt: iam filius senior irascitur. Ad quid haec omnia in Scriptura inducuntur? num in Deo culpa? numquid reprehensione dignum putabimus? absit. Sed, ut tanta significetur misericordia, ut limites excedat humani iudicii, et superabundans videatur. Ut ergo eius misericordiae magnitudo declararetur, consulto de ea, ut reprehensibili, solet loqui Scriptura. Simile hodie Mariae contigisse videtur, tanta eius in invitatores misericordia, cura, charitatis viguit, ut oraret pro illis etiam ad eam non pertinentibus: cui Christus: quid ad te, et ad me de his? quasi eam reprehendit, non quod reprehensibile quidpiam illa praesiderit; sed ut maxima, et superabundans eius in nos cura demonstraretur, quia haec illa sponsa Isaac, quae non solum homini, sed et camelis polum tribuit; et in hoc dignoscitur vera Dei sponsa, si peccatores omnes recipiat, si etiam eos, qui longe sunt, trahat.*

Atque ex omnibus dictis in hoc discursu, colligo, non solum b. Virginem non meruisse propter petitionem illam, Vinum non habent, increpationem aliquam, sed ex multiplici capite magna laude dignissimam se praestitisse. Brevis illa verba fuere, sed mysteriis uberima, si intorsum respiciantur. Sicut enim granum synaps parvum est, et prima fronte vile, atque despectum, nullum saporem conferens, nullum odorem emittens; ubi tamen conferri coeperit, continuo acrimoniam suam ostendit, et latentis caloris indicia prodit; sic pauca haec Mariana verba exterioris inspecta, nullam excellentiam praese ferunt, aut magnam aliquam Virginis laudem portendunt; si tamen cogitatione conferantur, tunc multiplex virtus, multiplexque Virginis laus in eis delitescens delectatur. Enitet in primis inconcussa fides, ut his verbis disseruit d. Bernardus (de gradib. hum. grad. 12): *Disce, et in matre Domini magnam, et in mirabilibus fidem habere, in magna fide verecundiam retinere. Di-*

*se verecundia decorare fidem, reprimere praesumptionem. Vinum, inquit, non habent: quam breviter, quam reverenter suggestit, unde pium fuit sollicita; et ut discas in huiusmodi magis pie genere, quam petere praesumptuose, aestum. Pudoris temperans umbra, conceptam precibus fiduciam verecundiae suppressit, non frontose accessit, non palam locuta est, ut quaedam eorum omnibus diceret: obscuro filii, deficit vinum, tristatur conviviae, confunditur sponsus, ostende quid possis. Sed licet haec, aut multa praepectus aestuans, fervens loqueretur affectus, privatim tamen filiam pia mater adit, non potentiam tentans, sed voluntatem explorans, vinum, inquit, non habent, quid modestius? quid fidelius? non defuit pietatis fides, voci gravitas, effluvia voto; haec ille.*

Effulget deinde in illis verbis insignis fiducia, et spes b. Virginis, dum rem magnam, quam postulabat a filio, non multis precibus urgere voluit, sed simplici verbo, eam indicavit: quod manifestum indicium est, iudicissimam exlitisse, penuriam vini ad eius preces, supplicandum fore a Christo. Unde hac spe, tanquam firmissima anchora roborata b. Virgo, confidenter dixit ministris (Luc. 1): *Quodcumque dixerit vobis, facite. Quid de charitate dicam, quae in illis verbis palam ostenditur, cum, nec monita, nec rogata sponso, et sponsae condolet, officium eorum sublevare satagit, advocatae officium exercere incipit, ac intercessionem suam a Christo beneficium impetrat, et factio miraculo, praesentibus amicis, et convivis in charitate non ficta cogaudet. Pietatem praetera Virginis quis non videat? Vidit quidem, et eleganter expendit (in comment. ill. verb.) d. Bern. dum dicit: *B. Virgo compassa est verecundiae novorum coniugum, sicut misericordem, et benignissimam decessit. Quid enim de fonte pietatis profunderet, nisi pietas? quid mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? nonne, qui pomum in manus tenuerit dimidia die, reliqua dici parte pomum sereabit odorem? quantum igitur virtus pietatis efficit, in quibus novem mensibus quievit; et quamvis recessit ab utero Christus, non tamen recessit ab animo.**

Acedit his sancta iubilatio, quam, nihil dubium, quin Spiritus sanctus in eius pectore excitaverit, cum suae petitionis iam felicem effectum Virgo cerneret. Rursus, quoniam agnoscat gravitatem, et modestiam, quam b. Virgo in illis verbis manifestavit? nec enim imperiose dixit; filii da eis vinum, ostende potentiam tuam, Messiae virtutem et gloriam omnibus pande, manifestare mundo, diu satis domi latuisti. Nihil certe tale modestissima Virgo, et gravissima mater totiusque honestatis speculum protulit, sed contra muliebrem morem, ab omni garrulitate aliena, pacitate verborum contenta, solum ei dicit (Luc. 2): *Vinum non habent. Ac tandem mira in eisdem splendet Virginis prudentia, dum tam paucis verbis permulta perstrinxit, quia dicere, vinum non habent, perinde fuit, ac si illi in hunc modum loqueretur: Nihil est opus a sapientissimum admoneri: vides ipse, filii et intelligentis, vinum, ad ignominiam sponsi ac sponsae depellendam, atque ad consolationem*

hospitibus exhibendam, desiderari. Quibus vero modis utrique parti consulendum sit, tuae et potentiae, et caritati commendatum volo, nihil ambigens, te, nec meae postulationi, nec illorum utilitati defuturum. Memm erat, hoc fidei erga te, et caritatis erga illos, officium verbo praestare. Porro, ut quod polliciti sumus, impleamus, solum explicare restat, quid sibi velint verba illa: *Nondum venit hora mea.* D. Athan. (in apolog. de fuga sua), d. Aug. (in Joa.), d. Greg. affirmant, Christum Dominum fecisse allusionem in his verbis ad tempus suae passionis, hoc enim non semel in sacris eloquiis hora eius dicitur (Ioan. 7): *Nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora eius: et (Ioan. 13): Sciens, quia venit hora eius; et (Ioan. 17): Pater venit hora, clarifica filium tuum. Erit ergo sensus: quid mihi, et tibi? hoc opus, quod petis, divinitatis meae est: in hoc non te cognosco matrem. Nondum venit hora passionis meae, quando patiar in ea natura, quam a te accipi, tunc te matrem recognoscam. Ad d. Greg. Nissenus (orat. in illa verba Pauli tunc, et ipso subiectus erit), non legit haec verba affirmative, ut praecedentes Patres, sed interrogative, ut sensus sit: adhuc mihi imperare ut mater vis? nondum venit hora, quando mei iuris ero? Existimam enim ille, Virginem hoc miraculum Christo imperare voluisse, cui Christus respondit, se obedire illi minime teneri: *quid mihi, et tibi? adhuc mihi imperas? nondum tibi videtur hora venisse, quando mei iuris ero: venit iam hora haec. Consentit enim Severus Antiochenus (in cat. graec.). Verum utraque haec expositio ea ratione mihi non probatur, quia utraque supponit verba Christi Domini esse increpatione, et reprehensiva; ista autem increpato, et reprehensio in Virginem, in quam culpa nunquam irrepsit, minime cadere poterat, ut sup. ostendi. Quare vera, et germana intelligentia horum verborum est, quam his verbis tradit d. Iren. (l. 3. cap. 18): *Dum ait: Nondum venit hora mea, dixit, expectans eam horam, quae praecognita est a Patre. Ad stipulatur huic expositioni d. Cyrill. (lib. 2. cap. 23), D. Ambr. (serm. 16. in Ps. 118), d. Chrys. (hom. 21), card. Toletus, Mald. et moderniores alii (in cap. 2. Ioan.), qui omnes affirmant, planum sensum esse: nondum venit tempus facienda miraculum, quod a me postulas. Expectabat enim, ut adnotat Chrysost. Theophyl. et Euthym. quod omnes, qui aderant, cognovissent, vinum defecisse, ut claris miraculum esset. D. autem August. affirmat, tunc, cum mater petivit, nondum vinum penitus defecisset; voluisse autem Christum expectare, quod nihil omnino vini esset, ut mirabilis ab omnibus opus eius iudicaretur, dum non ex vino vinum, sed ex non vino vinum conficeret. Verba igitur haec, *nondum venit hora mea*, multa magna continent: sunt enim verba potestatis divinae, quia Dominus temporum eligere potuit, quae voluit. Verba sunt prudentiae, quia ab aeterno disposuit, quae fecit in carne. Verba sunt providentiae et sapientiae, quia convenientia suis quaeque finibus suorum operum elegit momenta. Verba sunt misericordiae, et***

quia spem subveniendi dedit. Verba sunt liberalitatis, et magnificentiae, quia hydras pretiosissimum vino plenas convivis tradidit. Verba sunt reverentiae, quia honoravit matrem, preces acceptando opportuno tempore exaudientes. Verba sunt instructionis, quia omnia ex consilio, et voluntate Dei Patris se facere docuit. Qui cum Filio ipso, et Spiritu sancto sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA V.

*Prosequimur idem intentum, singularia quaedam dubia, quae ex Marianis verbis: Vinum non habent, emergunt, in defensionem b. Virginis utiliter enodantes, ac nonnulla alia, quae occurrunt, elucidantes.*

Tanti facio, beatissimam Virginem ab omnibus calumniis vindicare, ut non contentus Haereticorum tela infixisse, nunc denno ad quaedam alia propulsanda accingam, quae religiosam eius petitionem, dum filio suo dixit: *vinum non habent*, quodammodo labefacta videntur. Etenim in primis sacra eloquia tradunt, filiis Israel defecisse Dominum panes, et carnem ad saturandum (Exod. 16): *Vespere comeditis carnes, et mane saturabimini panibus; idque non semel Deus praestitit, nam iterum tanta ceterum copia eis cibavit, ut in naucaeum eis verteretur; vinum tamen nusquam legitur eis dedisse. Similiter etiam (3 Reg. 18) divinitus corvus panem, et carnem afferebat Heliae prophetae, potus tamen eius non erat, nisi aqua de torrente Carith, ut ibidem dicitur. Immo, cum torrens ille prorsus exsiccaretur, non providit turbis in deserto, ut ad recentiora veniamus, cum Christus Dominus convivium fecisset turbis in deserto, multiplicatione quinque panum, et dnorum piscium, vino tamen minime convivas potavit, quia agnoscebat, vinum non semel libidinis fomentum esse. Unde d. Paulus (ad Ephes. 5) dixit: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: et ad Rom. 14) scribens ait: Vino abstinere, bonum est, non manducare carnes, et non bibere vinum.* Quid ergo est, quod castissima Virgo filium orat pro vino, quod et luxuriae incentivum est, et de quo in miraculosis etiam conviviis, quae Deus usque ad illud tempus fecit, nunquam providisse legitur? Addo, quod vinum factum per miraculum non poterat non esse optimum: quia sicut, cum Deus miraculose confert alicui sanitatem, sanior ille redditur, quam antea erat, et quoties miraculose aliquis cibavit, cibi illi erant suavissimi; ita sine dubio vinum miraculose ab eo factum, perfectissimum super omnia naturalia vina fuisse censendum est, ut adnotat d. Chrys. hic (homil. 2). Unde Archicicilius, ut refert d. Ioannes (cap. 2), et observavit ad id probandum S. Chrysost. (ibid.): excellentiam miraculose illius vini animadvertens, dixit: *Omnis homo primum bonum vinum bibit, et cum inebriati fuerint, tunc id, quod**

deterius est; tu vero servasti bonum vinum usque adhuc. Architelius autem non erat vulgaris, et infimi nominis persona, sed vir sapiens ex sacerdotali ordine ad regendas nuptias deputatus, ut testatur d. Gaudentius (tract. 9). Quis autem non videat, quod quanto suavior erat illud vinum, tanto erat periculosius ad intemperantiam? non ergo sollicitus se debuisset Virgo exhibere de subministrando vino, quod multis ruinae occasione praebere posset.

Verum haec omnia facile evanescent: nam in illis antiquis cibationibus, intantum Dei solum erat, Hebraeos, Heliam, et turbas sufficienter sustentare, ne fame perirent; ad quod satis erat, de solo pane, et aqua eis providere, Ecclesiastico dicente (cap. 29): *Initium vitae hominis, panis, et aqua*. In his vero nuptiis, ad quas Christus cum Virgine, et discipulis fuit invitatus, non solum opus erat sufficienti victu ad sustentationem; sed et quaedam decenti opulentia, et perfectione convivii, quae absque vino minime subsistere possit; cum nihil tam coniunctum cum nuptiis, quam hilaritas, et laetitia, Ecclesiastico dicente (cap. 31): *Vinum in iucunditatem creatum est, non in ebrietatem*. Ex quibus verbis satis etiam patet, vinum ex se malum non esse, sed ex sua natura indifferens, ut eo bene, et male utamur; sicut gladio Iudex utilis ad iustam vindictam malorum; privatus vero homo ad iniustam occisionem sui hostis. Quare licet vinum intemperate sumptum noceat, Salomone dicente (ibid.): *Vinum multum potatum et irrationem, et iram, et ruinas multas facit*. Etenim venter mero aestuans, facile despumat in libidinem, et rixas; temperate autem sumptum utile est, eodem Salomone id attestante (ibid.): *Aqua vita hominibus, vinum in sobrietate; et paucis interiectis: Exultatio animae, et cordis, vinum moderate potatum*. Unde et Paulus (1. Tim. 5) monet: *Modico vino utere propter stomachum*. Quare cum alibi consiliatur, a vino se abstinere, id dixit quando periculum offendiculi, seu scandalum alieui imminet. Virgo igitur castissima postulavit vinum a filio ad usum, non ad abusum, prudentique praesumere poterat, solam praesentiam Christi in eo convivio sufficiens antidotum fore ad convivarum intemperantiam coercendam. Ac tandem postulans a Christo vinum ad usum convivarum, haeresiarchae Severi singularem haeresim damnavit, qui, ut referunt d. August. (lib. de haeres. c. 24), et d. Epiph. affirmabat, vino non esse utendum, quia soboles diaboli erat, qui in serpentem conversus, terrae se commisit. Eandem haeresim d. Hieronym. (Anos 1) Tessiano adseribit. Credo tamen, eam paucissimos habuisse sequaces; satis autem ex eo expurgatur, quod Virgo sanctissima a filio suo miraculum conversionis aquae in vinum petierit, ut convivis propinquaret, cuius petitioni annuens, conversionem ille fecit, et ex vino ipse bibit.

Notanter autem, si bene meministis, in principio praesentis homiliae petitionem Virginis: *Vinum non habent*, religiosam nuncupavi, quia licet piam, et misericordem appellare potuissem, cum per eam intenderet, inopia vini

misericorditer supplere; quia tamen in ea religio magis effulget, religiosam eam vocavi. Etenim Maria Iesu deitatem omnibus colendam, palam fieri praecipue intendebat. Tribus sane potissimum modis Christi divinitas manifestari, et probari tunc poterat. Primum per sacram Scripturam, ut docuit Christus Dominus (Joan. 5): *Scrutimini Scripturas, quia vos putatis in illis vitam aeternam habere, et illae sunt, quae testimonium perhibent de me*. Secundum per testimonium Ioannis viri sanctissimi omni exceptione maius, iuxta illud Christi Domini (Joan. 5): *Vos misistis ad Ioannem, et testimonium perhibuit veritati*. Tertius est, per miracula a Christo patrata: unde ibidem ait: *Ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me*. Ex triplici autem hoc probationis genere efficacissimum, et universalissimum omnium erat miraculorum patratio: nam licet Scripturae, et testimonium Ioannis maxime essent auctoritatis, hoc solum erat apud Hebraeos, miraculorum autem comprobatio ad omnes tam Gentiles, quam Hebraeos extendebatur. Unde et ipse, ut legimus (Joan. 5), dixit: *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne*: quod eproprie dicebat, ut Interpretes ibi adnotant, quia miracula, quae faciebat, efficaciora erant ad deitatem eius probandam, quam testimonium Ioannis. Et licet verum sit, antiquos Patres, et Apostolos, tam mirabilia portenta praestasse, ut Christus Dominus diceret: *Qui credit in me, opera, quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet*; tamen nullus ex illis propter virtutem illam miracula patranda, probabatur esse Deus; Christi tamen Domini miracula aperte convincebant eius deitatem, quia illa faciebat in confirmationem huius veritatis, quod Filius Dei naturalis esset. Itaque cum Christus Dominus publice praedicaret, se esse Deum, et ad id probandum miracula patraret, et miraculum sit operatio divina, et Deus nequeat esse testis falsitatis, aut portentum aliqnod facere in attestacionem, et confirmationem illius, quia summa veritas est, consequens fit, Christum Dominum manifestum per miracula, quam per quodcumque aliud testimonium divinitatem suam comprobasse. Non ignara igitur b. Virgo, quam hoc genus probationis efficax esset ad manifestandam gloriam deitatis filii sui, illius ipsa avidissima, religiosa petitione ab eo postulavit ingens illud miraculum conversionis aquae in vinum, dicendo: *Vinum non habent*.

Verum, ut ad id, unde digressus sum, redeam, illud petitionem hanc, *Vinum non habent*, damnare etiam videtur, quod sollicita fuerit in nuptiis rei, cuius sollicitudinem Christus Dominus (Matth. 6) longe alieuiendam monuit, dicens: *Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? haec enim omnia gentes inquirunt*. Ecce Virgo sollicita esse voluit, de quo filius suos sollicitos esse noluit. Sed neque hoc cavillum quidquam noceat Virgini, quia Christus Dominus in illis verbis minime gentium damnat debitam sollicitudinem in quaerendis rebus necessariis vitae humanae, alioquin illam

non habuisset d. Paulus, qui tamen, ut legimus (2. Thess. 3) dicebat: *Neque gratis panem manducavimus, sed in labore, et fatione, nocte, et die operantes*. Quis autem non videat, diurnam, et nocturnam defatigationem sollicitudinem esse? et (Actor. 20): *Ipsi, inquit, scilicet, quoniam ad ea, quae mihi opus erant, et his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istae*. Solum ergo prohibet Christus Dominus immoderatam curam cibi, et potus, et vestitus, eo quod principalis haec quaerimus, quam regnum Dei. Unde postquam dixerat (Matth. 6): *Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur, continuo subiungit: Quaerite ergo primum regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adiciuntur vobis*. Quibus verbis aperte ostendere voluit, utrumque esse quaerendum, regnum Dei principaliter, accessorie vero, et minus principaliter, quod ad vitae alimoniam opus est. Unde liquido fit, quod, cum Deipara Virgo sollicitam se exhibuit ad supplendum vini defectum in nuptiis Canae Galilaeae, nihil prorsus fecit contra id, quod postea Christus filius eius docuit, quia principaliter ipsa intendebat, per miraculum, quod a filio postulabat, gloriam, et divinitatem Christi manifestari, insigne illud miraculum aquae in vinum conversionis patrando. Deinde accessorie, et minus principaliter vini penuriam, misericordia mota, subvenire satagebat. Tam igitur fuit b. Virgo omnis perfectionis praecellens archimagistra, ut antequam Christus consilium illud dedisset, iam ipsa cumulatissime illud observaret, quaerens in miraculo gloriam Dei primario, et utilitatem proxime secundario.

Ad haec, ex eo etiam reprehensibilis Virginis petitio videtur, *Vinum non habent*, quia miraculum conversionis aquae in vinum, in tempestive, seu extra tempus postulavit. D. autem Paulus, qui (2. Timoth. 4) ad instandum etiam importune monebat Timotheum, simul etiam opportune id facere docuit dicens: *Insta opportune, importune: (in cuius loci Comment.) d. Anselmus sapienter dixit, opportune importune, id est: opportune importunitatem exhibe, quia apud avidioris mentem ipse sua utilitate destruit, se si habere importunitas opportunitatem necesse*. Hac autem opportunitate caruisse petitionem Virginis ex duplici capite deprehendi posse videtur. Primo ex responso Christi Domini, quia cum ei dixit, *nondum venit hora mea*, utique extra debitam horam petitionem factam fuisse perhibetur; maxime, si allusit ad horam illam, de qua Ioannes dixit: *Sciens Iesus, quia venit hora eius*. Tunc enim sensus erit: Ego nunc sum invitatus, et ideo ad me non pertinet, de vino providere; quando venerit hora in ultima coena, in qua ego alios invitavero, providebo de vino sanguinis mei, convertendo vinum in illum. Neque extorta mihi videtur haec expositio, cum ex sententia multorum interpretum (in c. 2. Joann.) miraculosa illa conversio aquae in vinum typus fuerit, et velut praeludium quoddam ad portentosam illam conversionem panis, et vini in carnem, et sanguinem Christi. Secundo videtur ea Virginis petitio non opportune facta;

quia Christi miracula ordinabantur ad confirmandam eius doctrinam, et quasi sigillis quibusdam magiae auctoritatis illam constabiliendam; tunc autem nondum cooperat praedicator, ac doctrinam suam disseminare; haec vero antecedere debebat miraculorum patracionem. Unde apud Matthaum (c. 4) dicitur: *Circumtulit Iesus totam Galilaeam, docens in synagogis eorum, et praedicans evangelium regni, et sanans omnem languorem, et infirmitatem omnem in populo*. Ecce prius publice docebat, et postea doctrinam miraculis confirmabat. Virgo tamen e contra, antequam Christus docere coepisset, miraculum ab eo petiit; erat autem hic ordo praeposterus: cum enim quis aliquid docet, et in illius testimonium miraculum facit, iam Deus ipsius doctrinam miraculo suo attestatur; cum vero antecedit miraculum, et deinde subsequitur doctrina, non ita innotescit, miraculum factum esse in attestacionem illius doctrinae. Unde Deus (Deut. 13) videns in hoc ordine praecedentiae miraculi ad doctrinam latere posse fraudem, monuit, ne crederet prophetae aliquid dicenti, cuius miraculum praecederet, non subsequeretur eius doctrinam: *Si surrexit in medio tui prophetae, aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum, atque portentum, et evenierit quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus, et sequamur Deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis: non audies verba prophetae illius*. Postulans ergo Virgo miraculum a Christo Domino, antequam evangelicae suae doctrinae fontem aperire coepisset, importune, et tempestive fieri postulavit.

Ceterum, nec haec calumnia alieuius momenti est: quia, cum Christus Dominus Virginis petitioni reipsa annuens, miraculum ab ea postulatum ante finitum nuptiarum convivium patraverit, manifeste convincitur, non indebito tempore patrandum postulasse. Tum etiam, quia satis conveniens erat, ut nonnulla etiam miracula Christi praedicationem praecederent, ut per illa talem sibi opinionem apud plebem conciliaret, ut postea quando praedicaret, facilis, et promptus crederetur; maxime quod etiam Christus Dominus, tunc paucissimos cum haberet discipulos, non parum intererat, ad alios plures sibi aggregandos, virtutem miracula facienti ostentare; cum ne per eximiam vitae austeritatem, instar Ioannis desertum incontentis, nec per eius praedicationem, quam tunc nondum inchoaverat, eos ad se allicere posset. Unde cum Christus Dominus portenta multa fecisset, antequam publice praedicare coepisset, d. Ioan. (c. 2) ait: *Multi crederunt in nomine eius, videntes signa eius, quae faciebat; et Nicod. propter illa stupefactus (Joan. 3) dixit: Nemo potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*. B. igitur Virgo honoris filii sui cupidissima, opportune satis voluit miraculum conversionis aquae in vinum ab ante praedicationem eius patrari.

Denique iam ad alia, quae occurrunt dubia circa proposita verba, *vinum non habent*, elucidanda properemus. Certe b. Virgo spiritu prophético filii voluntatem praenovit de facie

do miraculo vini, ut expresse docet d. Maxim. (hom. 1. pro festo Epiph.). Unde Euseb. Emys. (ad. hom.) de matre, et filio loquens, dixit: *Ipsi se intelligebant, ipsi sua secreta noverant, et quid postea futurum erat, faciebant. Igitur, cum b. Virgo praecognosceret, quid facere vellet filius, in ea occasione, sola mentis loquela absque externis verbis, potuisset filium rogare, illud Davidis sibi usurpans: Domine, ante te omne desiderium meum, et gemilus meus a te non est absconditus. Unde Apost. (1. Corint. 14) dicebat: Orabo spiritu, orabo et mente: immo et ipse Christus Dominus apud Ioannem dixit: Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare. Nec iuvat quidquam respondere, Mariam in spiritu praevidis, quod filius eius erat et vinum miraculose concessurus, dummodo tamen ipsa pro illo preces ad eum funderet: nam aequa bene id facere potuisset sola mente, et spiritu, absque verborum strepitu. Arbitror tamen ex multiplici capite, cum ratione magis coniunctum fuisse, ut b. Virgo non solum mente, sed voce externa, vinum a filio postulasset; tum ut ea ratione, et illis convivis, et nobis piis, ac misericors beatæ Virginis affectus in necessitatibus miseris succurrerit, planius innotesceret; tum ut inde maior gloria in Deum redundaret, Christo Domino dicente (Matt. 5): Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est; tum ut reipsa profiteretur eum verum Deum, et hominem, qui auribus possit sensibiliter percipere articulationem eius vocem; tum tandem, quia b. Virgo voluit perfectissimo modo tunc orare. Omne autem, quod mente, et voce perficitur; perfectius est, tuncis paribus, eo quod mente tenuis fit: tunc enim colitur Deus non solum spiritu, sed corpore, non solum mente, sed sensu, non solum interius, sed exterius. Unde, quemadmodum cytharæ sonus suavior est, cum omnes chordæ, quam cum una solum pulsatur; ita divinis auribus suavior est oratio corde, et ore, quam mente solum prolata; maxime, quod cum voce Deum oramus, piæ affectum in auditoribus excitamus, et vocis nostræ dulcore affecti, ad orationis exercitium illis movemus, et quodammodo compellimus. Prudenter igitur b. Virgo, et religiose satis, non solum mente, sed et ore miraculum a Christo exstulavit, verbis illis utens: *vinum non habent.**

Ad extremum illorum questionis facere satis oportet, qui interrogant, quare Christus Dominus, cum facile potuisset, vinum ex nihilo creare, voluerit illud ex aqua facere? amplius enim videretur, honorasse matrem, vinum creando, creatio enim opus excellentissimum esse iudicatur, quam conversio, cum hæc ex aliquo, illa ex nihilo rem produceret: et licet utraque infantiam operantis potentiam manifestet, clarior creatio illam ostendat, cum nihil praesupponatur ex parte materiae ad rem efficiendam. Huius facti plures causas apponam, quibus plene propositæ dubitationi satisfaciam. Primam causam tradidit d. Irenæus (l. 3. c. 14) in hæc verba: *Quamvis enim posset*

*Dominus ex nullo subiacente præbere epulantis vinum, et ex eo complere esurientes; hoc tamen non fecit. Accipiens autem eos, qui a terra essent panes, et iterum aquam, faciens vinum, saturavit eos, qui recumbabant, et potavit eos, qui invitati erant ad nuptias; ostendens, quoniam Deus, qui fecit coelum, et terram, et iussit eam fructus facere, et constituit aquas, et dedit fontes; hic, et benedictionem escæ, et gratiam potui in nobissimis temporibus pro filium suum donat humano generi; hæc Irenæus.*

D. Chrysostomus (hom. 26) voluisse ait Christum aquam in vinum convertere, ut ostenderet suarum creaturarum plene dominium habere, dum quasdam in alias pro suo transmutaret arbitrio, et ad quem sibi placebat usum, illis uteretur, absque ulla earum reventia. Idem etiam Chrysostomus, neonon et Theophyl. et card. Tolet. (in c. 2. Ioan.) affirmant, Christum Dominum consulo ex aqua vinum fecisse, et non ex nihilo, ut certius, et manifestius appareret miraculum, et ministris ipsos, qui propriis manibus impleverant hydrias aqua, ipsius testes haberet. Etenim, ut observavit Theophyl. si ex nihilo vinum fecisset, phantasma forsân visum fuisset; cum autem omnes ministri ad oculum viderent, illam eandem aquam, quam ipsi in vasa miserant, in vinum versam, nulla tergiversatione miraculum inficiari poterant. Eademque de causa egregie observavit Euthym. (in comment. huius loci), non voluisse Christum pro seipsum, sed per ministros hydrias aqua impleri. Ad idem d. Chrysost. (praec. loc.) scite adnotavit, quod, ne ulli calumniae locus pateret, Christus aqua usque ad summum hydrias, quæ soli aquæ depulatae erant, impleri voluit, dicens: *Implete hydrias aqua.* D. autem Augustinus mysticam rationem assignans (tract. 9. in Ioan.) asserit, hanc aquæ in vinum conversionem factam fuisse propter mysterium, scilicet, ut legem illam insipidam, et inefficacem, in suavissimum, et efficacem evangelium, mutandam significaret: simul enim miraculum unum, et veritatem divinitatis eius, etiam probare, et id quod facturus erat, significare potuit. Ultimam tandem rationem addo; arbitror quidem, et forsân hæc fuit mens d. Iren. (l. 3. c. 11), Christum Dominum, efficiendo vinum ex aqua, ostendere voluisse, eundem esse Creatorem, qui a principio creavit coelum, et terram: etenim, ut multi antiqui Patres volvere (super c. 1. Genes.), materiam primam prius ex nihilo creavit Deus, et postea ex illa reliqua formavit; vel, ut aliis placeat, coelos, et elementa ex nihilo produxit per veram creationem, reliqua vero mixta non ex nihilo, sed ex illorum materia effecit. In hoc enim sensu nonnulli explicant verba (Ecl. 18): *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul: simul quippe omnia, hoc est, prima rerum elementa de nihilo creavit; sex autem diebus operatus est rerum omnium species, non de nihilo creando, sed ex eisdem elementis sui verbi imperio illas formando, et die septimo requievit ab omni opere, quod pararat. Cum igitur Deus omnia elementa in principio ex nihilo creasset,*

mixta vero ex illis formasset; nunc, ut ostenderet Christus, se illum eundem esse Deum, qui mundi machinam condidit, eundem operandi modum secutus est, non creando vinum, sed tanquam mixtum, ex competenti elemento illud produciendo; hoc est, ex aqua, quam singulis annis per viles a radicibus ascendentis mirabili sua potentia in uvas, proximam vini materiam, convertit. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VI.

*Quidam haeretici Priscillianistæ astrologiae iudiciariae cultores existimantur Christum Dominum dixisse: Nondum venit hora mea, quia fato erat subiectus. Sed confutatur eorum delirium, pariterque illorum error acerrime expugnatur, qui putant per astrologiam iudiciariam singulares futuros eventus a libera voluntate pendentes, praenosci posse in particulari; ac tandem, quid tuta conscientia astrologi praedicere possint, breviter edocetur.*

Quorundam Haeticorum audacia cum summa impietate coniuncta eo pervenit, ut ansam perperam sumentes ex verbis Christi Domini (Luc. 2): *Nondum venit hora mea, temere effluerint, illum observasse coeli constellationem, ut magis in hac hora, quam in illa, hoc, vel illud opus operaretur. Tribuunt hunc errorem Priscillianisti s. August. d. Chrysost. Euth. et Theoph. Id autem asserere, ita falsum est, ut tametsi verum esset quorundam astrologorum commentum, qui affirmare non erubescunt, ex concursu planetarum, qui in hora natalitatis vigent, dependere adeo eventus futuros, ut ex cognitione illorum planetarum tanquam ex causa, cognosci etiam possint in particulari effectus futuri contingentes dependentes a libera voluntate. Tamen respectu Christi Domini in hoc opere conversionis aquae in vinum id nulla ratione locum habere posset, quia eventus illius miraculose conversionis non fuit mere supernaturalis, atque adeo non poterat cognosci in constellatione aliqua, cum illa sit causa mere naturalis, a qua nulla ratione pendent, quae sunt ordinis divini, et supernaturalis.*

Ceterum, quia falsissimum arbitror fundamentum istorum haeticorum, dum supponunt, per astrologiam iudiciariam certo, et in particulari cognosci posse ex coelorum constellatione futuros effectus a libera voluntate dependentes, opportunam hanc occasionem nactus praesentem errorem expugnandi minime praeteribo, eo vel maxime, quia video instar similitudine pestis per multas Ecclesiae plagas grassari, et ad modum cancri per membra christiani corporis magis, ac magis in dies serpere; tantoque in hoc genere argumenti acrius insistendum pulo, quanto tenacius mullos astro-

logiae iudiciariae falsitati addictissimos cerno; ac tanto impensius pro veritate pugnamus, quanto plures illa cognoscitur habere oppugnatores: siquidem quemadmodum prodesse omnibus, ita placere tantummodo bonis desideramus; nec iudicium multitudinis quidpiam fidei habet, ubi constans ratio, et Doctorum unanimes consensus partes nostras agunt; nec nos auram spectantis popularem, sed lucem veritatis, et publicam utilitatem. Illud vero lectori adverto, longe a me abesse impugnationem astrologiae, quae siderum moles, et motus mathematica ratione metitur: hanc enim artem certam, et nobilem, et suis meritis hochestissimam, auctoritateque hominum doctissimorum maxime comprobata non diffiteor. Solum igitur vanitatem astrologiae iudiciariae, quae venturos effectus a libera voluntate dependentes certo praecognoscere gloriatur, non ego solus, sed divina utriusque testamenti eloquia, sacra Concilia, Summorum Pontificum canones, Imperatores, reges, Ecclesiae catholicae doctores, nec non philosophi antiqui solum rationis lumine illustrati, ac tandem nervosissimae rationes damnant, flocci pendunt, et execrantur; ut ex his, quae statim subiciam palam fiet.

## §. I.

ASTROLOGIA IUDICIARIA, QUAE DE FUTURIS EVENTIBUS IN PARTICULARI A LIBERA VOLUNTATE DEPENDENTIBUS, CERTAM PRAECOGNITIONEM VENDITAT, IMPUGNATUR EX SACRIS ELOQUIIS, TAM VETERIS, QUAM NOVI TESTAMENTI.

In huius rei probationem (Levit. c. 9) hæc verba lego: *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluanini per eos. Ubi nomine magorum astrologi divinatores intelliguntur, a quibus sciscitari prohibentur, quia par est vanitas in interrogantibus utrisque factis, quas Deus ibi fieri prohibet. (Lib. etiam Deut. cap. 18) hæc habentur: Genes istae augures, et divinos audiunt; tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es. Supra enim dixerat populo suo Deus: Nec inveniantur in te, qui iustret filium, aut filiam, aut qui ariolos sciscitentur, et observet somnia, atque auguria, etc. ibi enim, ut recte adnotavit Hamerus (in id Genes. 1 ut sint in signa, etc.) pro augures habetur verbum quoddam hebraicum, quod significat eum, qui ex nubibus, vel astris responsa dat, et dicit hunc vel illum diem cavendum ad has, vel illas electiones, puta si uxorem duxerit, aut domus fundamenta iecerit sub illa constellatione, inauspicatissimum ferrem ferit. Et Achymas maximus doctor Hebraeorum illud verbum ait significare eos, qui tempora suppunt, et felices horas, atque infelices observant: derivatur enim a verbo, horam, significante (Job cap. 38): Nunquid nosti ordinem coeli, aut ponas rationem eius in terra? et infra: Quis enarrabit coelorum rationem. Quibus verbis satis utique manifeste indicat motus coelorum, astrorum fi-*